

1538
*Triremium
 Dalmatarum
 instructio.*

tendere curaret. Triremes ad classis supplementum in Dalmatia instructæ: in Pharo, & Arbæ insulis una; Abfori, & Creptæ altera; Tragurii itidem alia: singularum suis civibus præfectura commissa: in Epiro quoque Versacius clarus vir triremem sibi depoposcit, aliis in supplementum remiges dare pollicitus. Binæ a Fossæ Clodiæ incolis, quibus Veneti trierarchi præessent, tributæ fuerunt.

Suleimanus interea, lustratis copiis, adornata classe, martio mense exeunte, terrestri itinere cum exercitu Byzantio movit; Luphtibejo maritima præfectura exuto, atque in Macedoniam ablegato, Chariadenum suffecit, cunctisque maritimis rebus, & expeditionibus præfectum solvere quamprimum iussit: quæ Venetis in Aegæo mari superessent, ea incenderet, ac diriperet; mox in Cretam cursum intenderet, incolas, omnemque regionem quotquot posset damnis, cladibusque contereret.

Aheneobarbus igitur cum centum, & viginti triremibus Aegæum ingressus, quæ militum libidini, ac furori superfuerant, extremis quibusque crudelitatis, atque avaritiæ exemplis afflixit. Scythro capta, & deleta, Franciscum Cornelium, qui pro Republica magistratum gerebat, captivitate affecit: a Meliis, & Haxiis tributo accepto, Scyatam, ac Scopelon parvas, insulas, alteram duo & viginti, alteram duodecim passuum milium circuitu, aggreditur. Iis Hieronymus Memmus præerat, qui natura loci fretus, quod situ eminentiori, prærupto, ac difficili loco arx inerat, quæ sustinere aliquamdiu impetus hostium posse videretur, parvam manum præsidiariorum militum, atque incolas ad arma capienda, & ad patriam tutandam persuaferat. Ii primum hostium incursum fortiter tulere, in quo strenue dimicans Memmus sagitta ictus decumbere in lectulo coactus fuit. Inde restincta pugnandi laude, de deditione a flagitiosis hominibus (fraudene, an ignavia incertum) consilia agitata, qui, ne, conjuratione detecta, supremi supplicii genere afficerentur, horrendum facinus ausi, prætorium adiere, Memmumque decumbentem contrucidavere. Mox facinore vulgato, in magna omnium trepidatione, ac tumultu, hostibus funibus in arcem pertractis, turpem deditionem fecere. Facti indignitate Chariadenus, barbarus licet, ac Veneto nomini infensus, adeo commotus est, ut tanti criminis reos, & fontes statim ob-

*Chariade-
 nus a Sulei-
 mano in
 Luphtibeji
 locum suffe-
 ctus.*

*Chariade-
 nus Aegæum
 ingreditur
 & ditiones
 Venetas di-
 rigit.*

*Hieronymi
 Memmi
 Scyarbi &
 Scopeli præ-
 toris vir-
 tus.*

*Hieronymus Mem-
 mus a præsi-
 diariis occi-
 ditur.*

*Chariade-
 nus Scya-
 rbum &
 Scopelon
 deditione
 recipit, &
 Memmi ca-
 dis reos ob-
 trumcari
 mandat.*